



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. III. Ad quid teneantur tutores, & Curatores, qui parentum sunt loco?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

DUBIUM III.

*Ad quid teneantur tutores, & curatores,
qui parentum sunt loco?*

Tutor (idem est de curatore) tenetur curam gerere pupilli, ejusq; bona ritè, & fideliter administrare. Ratio. Quia in hunc finem constituitur, & assignatur pupillo patris loco. Quare si delinquat, vel notabiliter sit negligens hac in re, peccat graviter, & ad compensationem damni, quod pupillus ex eo accepit, obligatur, (& saltem de dolo & culpa lata) imò etiam, si tutoris officium exercet pretio, (quod tamen si ab initio non est constitutum, censetur suscepisse gratis) tenetur etiam de levi culpa, *Bö. de cont. di. 3. q. 19. p. 4.* Unde resolves.

I. Tutor tenetur tueri personam pupilli dum opus est, eumq; moribus imbuere, & benè educare, per se vel alios. *Bon. l.c.*

II. Tenetur bona pupilli fideliter administrare, ideoq; (officium tutoris suscipiens) inventarium conficere, alioqui damna ex ejus defectu secuta refarcire: nec licet illi pupillo pecuniæ nimium ad usus inutiles concedere.

III. Tutor (uti & Curator) tenetur conservare omnia jura, bona & actiones pupilli, (vel Minoris) & bona alias peritura vendere, pecuniamq; convertere in emptionem bonorum stabiliū, vel in censū, & c. prout fuerit utili? *ib. ex Reb. p. 2. l. 17. q. 1.*

IV. Si tutor, vel curator pecuniam pupilli convertit in suos usus, tenetur ad restitutionem totius lucri cessantis, vel damni emergentis, quod inde accepit pupillus, vel Minor. *l.c. Rebel. q. 17.*

V. Tenetur item ad restituendos fructus (deductis expensis) quos ex bonis pupilli percipere poterat, & sua culpa non percepit. *Sylv. V. tutor. §. 4. Rebel. l. c.*

VI. Tenetur nomina debitorum exigere, & debita pupilli persolvere, ita tamen ut quantum fieri potest, bono pupilli consulat. *Sylv. Rebel. ll. cc. Tabiena ib.*

VII. Tutor vel Curator non potest donationes, vel remissiones gratiosas facere de bonis pupillis quia non ad destruendum, sed tuendum est constitutus. *ibid.* Excipe donationem remuneratorem, sic enim potest, v. g. stipendio debito pro liberali servitio aliquid addere, ex liberali donatione. *Moli. Lug. d. 23. f. 10. Sanch. Trull. l. 7. c. 17. d. 8. v. Dian. p. 8. t. 6. R. 17.*

VIII. Denique tenetur (officio finito) reddere rationes: quia hoc onus est commune eorum, qui bona aliena administrant. *v. Bon. de contr. d. 3. q. 19. p. 4. & infra hoc libro, t. 4. c. 3. in appendice ad contractus.*

DUBIUM IV.

Qua obligatio Dominorum & famulorum, aliorumq; Superiorum & inferiorum erga se invicem?

Resp. I. Domini, & Superiores tenentur habere curam famulorum, aliorumque suorum subditorum. Patet ex *1. ad Tim. 1. Si quis suorum, &c.* Et ratio est, quia sunt ipsorum caput, & vices parentum gerunt, ideoq; tenentur quodammodo ad ea dem, ad quæ parentes. Imprimis verò curare tenentur, quan-